illam ab alio,cui venditur census redimibilis,irrequisito emtore eiusdem census, postea eam vendidit & tradidit?

1 Et† circa primam quęstionem de pacto hujusmodi, quod sit validum,tenet Bald. *in l.1.post princ.C.cōmun. divid.per l qui Roma, §.coheredes,ff.de verb oblig.* vbi & hoc voluerunt Imol.Raphael Cuma.Alex. & Ias. *in l. penult.ff.de pact.& in conf.211.præsens consultatio col.3.vers. sed præmissis, lib.1.* quos refert & sequitur Tiraq. *de utroque retract.in præfatione,n.15.* vbi alia similia adducit de statuto id præcipiente, quod valeat:Eandem sentēriam in nostro proposito pacti hujusmodi sequitur, dicens, non dubitare quin valeat hoc pactum, Aven. *respons.12.nu.8.* & Practicus Monterroso *in 7.tract.in pract. De los censos redimibles, fol.141.col.1.* Hoc tamen periculosum esse jure nostro affirmat Olan.*in sua Concordia juris,litera A,n.107.& 108.*eo quod ex tali pactione deterior fiat conditio venditoris atq; rei venditæ,*vt dicit notare Doct.Covar.lib.3.variar.resolut.cap.10 in princ.* Accedit præterea, secundum eundem, quod pars pretij censeatur,& justam estimationem minuat hujusmodi pactum,tollaturq; ex eo illa facultas vendendi, cui velit à lege illi concessa, & augeatur conditio seu natura contractus & census , sicque non sit admittendum. Hæc tamen nova opinio Moderni illius nullius momenti est, valet siquidem prædictum pactum, vt tenent atque rectius probant præfati auctores , nec jure nostro Regio contrarium invenitur decisum, nec Covar.vbi supra, loquitur in nostro pacto, sed in alio de retrovendendo in favorem venditoris adjecto , quod est diversum ab hoc de quo agimus in favorem emptoris posito,nec hoc minuit æstimationem:quia communiter census redimibiles venduntur cum prædicto pacto ad rationem vnius milliarij pro quatuordecim milliaribus,nec per id augeatur conditio,nec natura contractus,cum hæc sit clausula necessaria ad ipsum,substantia & natura contractus census eadem semper permanente:nec tantæ cōsiderationis esse debet tolli facultatem vendendi, cui velit,vt annuller ipsum pactum quandoquidem contractus ex conventione contrahentium legem accipiunt,vt sunt jura vulgaria. Præcipue cum hęc conditio sive pactum nullibi reperiatur scriptum,esse cōtra substantiam & naturam contractus census.Pręterea cum dominus fundi vult eum vendere , quid sua interest , quod eum potius habeat Ioannes quam Petrus , quandoquidem eodem precio sua promissione teneatur rem dare Petro ? Sed vt res omni proculdubio sit,pręcedens sententia contra præfatum Modernum approbatur expresse motu proprio S.D.N.Pij V. super forma creand.cens.lato ann.1569.14.Calend.Februar.sex ann.antequam dictus Olanus in publicum ederet suum librum : cujus quidem motus proprius verba,quæ ad nostrum propositum attinent, ita sehabent:*Vbi autem vendenda sit (res scilicet, census supposita, de qua ibi agit) volumus dominum census alijs omnibus præferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit , & per mensem exspectari :* Et quod magis est,hoc videtur ibi decidi , etiam prædict. pacto non interveniente, sed ex sola natura contractus censualis, quamvis ex verbis præcedentibus satis deduci possit pactum super hoc interveniſſe à principio, dum dicitur , *quemadmodum nec pactum auferens aut restringens facultatem alienandi rem census suppositam : quia volumus , &c.* Nam communiter cum prædicto pacto de non alienando nisi in certas & tales personas,solet adjici pactum,de quo est nostra quæstio.Quare ex superioribus absque dubio validum est & servandum.

2 Quoad † secundam quæstionem supra positam , an vigore hujus pacti emptor possit retrahere rem illam censui suppositam,ab alio cui vēditor census irrequisito emtore ejusdem,postea vendidit,suppositoquod ratione communionis non possit , *vt supra est dictum quæstione ab hinc secunda?* Et quidem ante traditionem indubium est hoc posse facere præd. emtorem census virtute dicti pacti,quandoquidem validum est.

Dubium autem est,an facta traditione secundo, possit ab eo retrahere primus emptor vigore dicti pacti? Et videtur quod non, *argum.l.quoties,cum materia,C.de rei vendicat.& l.50.tit.5.part.5.*vbi probatur,quod in re duobus vendita præfertur ille, cui prius est facta traditio ejusdem rei,quia habet titulum &possessionem, alter vero titulum tantum : Si ergo hoc ita est, à fortiore idem erit dicendum , quando priori non est facta venditio , *iuxta gl.in l.in bonæ fidei , & ibi Jas.ff.de eo quod cert.loc.* Secundo,quia pactum de non alienando non impedit dominij translationem, quando non est adjecta hypotheca specialis simul pro observatione illius contractus juxta communem & receptissimam sententiam,quam adduximus *in rep.l.nemo potest,n.26, & sequent.ff.de legat.1.*Ergo licet contra prędictum pactum de quo agimus , fiat venditio, maxime si traditio intercesserit,valebit venditio prędicta, neque veniet retractanda, quamvis contraveniens teneatur,& possit conveniri ad interesse.

Quinimo† etiamsi pactum fiat juratum alicui alteri 3
nemini vendere,si tamen hoc non obstante venderet, & traderet alij , emptor ille secundus, non obstante prædicto juramento consequitur rem sibi venditam, *vt voluit Joan.de Imol.in repet.cap.cum contingat , de iureiur.versic.quantum autem ad ipsam rem, quem refert & seq. Jas.in d.l.quoties, n.36.& Thom. Gramma.consil.civili 7.n.* 5 addens *n.6.*quod juramentum non habet vim impediendi translationem dominij : quibus fundamentis hanc sententiam in nostris proprijs terminis,nempe, quod non obstante prædicta promissione facta ab eo, qui constituit censum redimibilem de vendendo potius pro eodem pretio eidem emptori census quam alij, si tamen alteri vendidit & tradidit , valeat venditio alteri facta, & non competat jus retractus, licet ad interesse venditor census possit conveniri , tenet Doct.Avend. *dict.respons.12.nu.8.& 9.* dicens hanc putare meram veritatem in isto dubio , cum quo transire videtur Matienc. *in l.1.tit.15.lib.5. Nova Collect.Reg. gl.1.n.6.*

His tamen omnibus non obstantibus,contraria sententia in hoc mihi semper verior visa fuit, nempe,vt emtor census vigore hujus pacti possit retrahere rem vel fundum super quo constitutus est census à tertio, cui res fuit vendita & tradita irrequisito prędict.emptore census adversus prædictum pactum, hoc potissimum fundamento, nempe quia † per impositionem 4
census super aliqua re caussatur jus reale, & speciale in re censui subjecta, *vt tenet Ioan.Faber in §.item Serviana,n.14.Instit.de actio.Doct. Covar.lib.3.variar.resolut. cap.7.n.6.* vbi etiam quod hæc reditus constitutio super aliquo prædio hypothecam inducit fortiorem omnibus alijs, quoad hunc effectum, vt adversus tertium rerum possessorem prædij,super quo census cōstitutus est , possit agi, ipsáque conveniri ad solutionem census, etiam nulla facta nec præmissa excussione , absque tamen præjudicio priorum creditorum, cum videatur jus quoddam super ipso fundo constitui tanquam onus ipsius fundi,quod transeat in quēcunque ejus possessorem:quod & probat late Alu. Valasco,negans tamen illud de hypotheca,*de iur.emphyt. 1.part.quæst.31.nu.13.& 14.* sed veriorem existimo opinio.Covar.indistincte.Ergo si hypotheca hæc irregularis , quæ ex constitutione census contrahitur , sufficiens est , vt avocari possit possessio à tertio possessore , si reditus decursus non solvatur , sicque si condi-

conditiones contractus censualis non serventur , idem dicēdum est respectu dicti pacti,de quo agimus, vt virtute ipsius & ratione dictæ hypothecæ irregularis, quæ jus reale & speciale constituit in re censui suppositа,possit emptor census retrahere prædictam rem à tertio possessore , cui adversus dictum pactum fuit postea vendita,cum prędictum pactum sit conditio contractus,sicut illa solutionis reditus, & cætera ejusmodi,quibus non observatis agi potest adversus tertium rei possessorem.

Pręterea pactum hoc de non vendendo alij nisi emptori census,licet solum non sufficeret ad impediendam dominijtranslationem,vt est dictum,tamen,juncta prædicta hypotheca,quæ ex constitutione census contrahitur, quæ fortior est quam regularis, vt prædixi, bene impedit dominij translationem, quam in tertium,cui postea res fuit vendita,prærenditur factā fuisse per traditionem.*iuxta text.in l.si creditor.§.fi.ff.de distract.pign.*&cōmunem sententiam,quam deduxi *in dict.l.nemo potest, n.18.* Quod præcipue procederet, si vltra prædict, irregularem hypothecam adjiceretur etiam specialis altera ordinaria pro securitate & observantia contractus , ejusque conditionum, vt sæpe consului adjiciendam,quæ etsi non interveniret,adhuc ex prædicta irregulari,quę ex sola constitutione census inducitur,juncta cum d.pacto de non alienando in alterum quam in emptorem census,sufficeret,vt alienatio aliter facta esset nulla , & à tertio possessore retrahi posset res sic vendita virtute dicti pacti, *per d. l si creditor §.fi.* juncta communi resolutione supi a dicta:quod reputo verissimum adversus præfatam contrariam sententiam Avend.qui postea in alia impressione suorum Responsorum *facta Salmantice,ann.1569.* noviter addidit , quod in hoc de quo agimus aliqui volunt tenere contra prædict.suam sententiam, imo quod locū habeat retractus etiam retradita emptori, ex supra dicto fundamento , & sic remanere videtur cum hac nostra sententia adversus suam priorem,quā videtur corrigere, quandoquidem vltima derogant prioribus , *vt in l.pacta novissima cum similib.C.de pact.* præcipue cum non redeat ad primum,nec satisfaciat fundamentis vltimæ sententiæ , quibus commodè responderi minime potest.

Non obstat duo fundamenta prioris partis.Et primo,*dict.l.quoties, cum similibus,* quoniam illius l.regula fallit , quando in priori venditione adest pactum de non alienando alij,& hypotheca specialis, *vt in d.l.si creditor,§.fi.& in terminis dixi in dict.l.nemo potest,nu.40. & 41* Non obstat & secundum,quoniam fallit, quando cum prædict. pacto adest hypotheca specialis, provt in proposito intervenit,vt prædixi.

Nec obstat si contra supra dicta replicet quis,dicens ea recte procedere posse & locum habere,quoties expressum pactum de non alienādo intervenit cum hypotheca speciali.At vero in nostra quęstione pactum, de quo agimus, non est hujusmodi, (sed quoties venditor census venditurus sit fundum super quo censū constituit,teneatur id notificare emptori census,vt si eum fundum voluerit accipere pro tāto,hoc est,retrahere, possit : quod si nolit,sibi fiat recognitio census: quia respondeo hoc idem pactum, secūdum mentem cōtrahentiū in effectu esse de non alienādo alij quam ipsi vēditori,quādoquidē ad eum effectū debet certificari, atq; de venditione certiorari:nā idē est dicere, quod modo relatū est, vel quod non alienetur, alteri quā ipsi emptori,vt si eum voluerit, possit eod.precio accipere:quod si vltra hoc in pacto adjiciatur, vt venditio aliter facta sit nullius momēti,res absq; vllo dubio erit, nihilominus tamen etsi non ita exprimatur, sed vt prædixi, adhuc idem erit ex supra dictis.

SVMMARIA.

1 *Legis 68. Taur.hodie l.1 tit.15.lib.5. Novæ Collect. Reg. communis intellectus , vt loquatur in constituente censum annuum super suo fundo in favorem alterius appositа conditione commissi , ob non solutionem census certo quodam tempore.*

2 *L. supradict.dispositio in hoc sensu rigidissima est ac proinde non vsitata,nec exsequutioni tradenda: quia pœna commissi hoc casu iniusta & iniqua est.*

3 *Alius intellectus Ludovic. Mexiæ ad eandem l.refertur atque improbatur.*

4 *Tertius intellectus Albornoz refertur, & in pluribus carpitur.*

5 *Cadens à re & sic resoluto contractu censuali , cecidisse videtur à facultate luendi,eodem contractu concessa.*

6 *Per constitutionem census super aliquo fundo,non emitur ipse fundus, nec dominium eius vllo modo in emptorem census transfertur , sed tantum emitur ius quoddam percipiendi reditus vel fructus illius fundi vsque ad quantitatem census quotannis solvendi, & n.7.*

8 *Contractus census redimibiles moderni servatis servandis sunt liciti.*

9 *Pactum de retrovendendo vel redimendo in contractu census , non fucit eum illicitum : non enim habet eum sensum , vt censuarius ipse obligetur ad census redimendum intra certum tempus, nam si hoc conveniret, vsurarium esset. sed vt quotiescunque venditor census obtulerit sortem principalem cum reditibus decursis, census sit sublatus.*

10 *D.l.68.Taur.tantum observatur in praxi,vbi census perpetuus constituitur absque redimendi pacto, & res super qua constitutus est , ipsius erat , qui pensionem annuam sibi solvendam fore curaverit.*

11 *Procedit etiam eiusdem l. decisio in censu emphyteutico perpetuo redimibili.*

L.68. Taur.hodie l.1.tit.15. lib.5. Novæ Collect.Regiæ.

QVÆSTIO CLXVIII.

QVæro † de intellectu *l.68.Taur.*quæ hodie est *l.1. tit.15.lib.5.Nova Collect.Reg.* vbi cavetur, *Que si alguno pusiere sobre su heredad algun censo con condicion que si no pagare a ciertos plazos, que caya la heredad en comisso, que se guarde el contrario y se suzgue por el,puesto que la pena sea grande y mas de la mitad:*Et nostrates ibi communiter in ipsius l. interpretatione , eam intelligunt loqui, quando dominus fundi super eum cōstituit certum censum quotannis alteri solvendum , & sic jus quoddam percipiendi certos reditus annuos , remanente eodem fundo apud ipsum dominum directum ipsius fundi, eundémque debitorem, apposita tamen conditione, vt non soluto censu biennio aut triēnio, vel alio tempore , res incidat in commissum , eáque pactio servari debeat, *iuxta hanc nostram l.ita Ioan.Lup. Doct.Castill.in l.1. Anton.Gom.& ceteri , & Doct.Covar. lib.3.variar.resolut. c.7.nu.1.col.3.illustr num. Oroso.in l.iuris gentium, §.quinimo, nu.49 ff.de pact.Sentit Gregor. Lopez.in l.28.gloss.magna, col.1.* ibi, *Hoc etiam patet ex l.nostra Taurina 68.tit.8. part 5.* qui intellectus constat ex litera & contextura illius legis,ibi:*Si alguno pusiere sobre su heredad algun censo con condicion que si no pagare, &c.*Quæ verba expresse præd.intellectum insinuant, atque ideo merito eum sequutus fui in meo tractatu *de iuramen.confirm.in 1.part.c.13.n.10.* Quo† fit,vt in hoc sensu legis illius dispositio rigidissima sit, atque proinde nec vsitata,nec excusationi tradenda,quia pœna commissi in proposito, quādo valor fundi vel fundo-

rum super quib. census constituitur, est major quam pretium principale census, iniqua & injusta est, præcipue in foro conscientiæ, *vt ibi late adduxi, quod & tenet Medina in suo C. de restit. c. de censu redimib. folio 181. col. 2. 3. & 4. latéque comprobat Mexia super l. Reg. Toleti, De los terminos in 2. fundamento 2. part. n. 38. & sequent.*

3 Hoc † tamen non obstante, ipse Ludou. Mexia *vbi supra. n. 35. & seq.* & præcipue *nu. 43. & sequent.* & idem *in pragm. taxæ panis, 6. concl, n. 127.* legem nostram aliter intelligit, nempe vt loquatur in censu & emphyteusi, sub quo dominus fundi eum tradidit alteri fruendum, & sic dominium vtile, remanente penes se directo: tunc enim valebit conditio & pactum, vt si ad certos terminos pēsio emphyteusis non solvatur, fundus cadat in commissum: non vero intelligatur in censu consignativo, provt eam legem glossatores ejusdem intelligunt, respondēq; ad illud verbum nostræ *l. cēso*, quod stet improprie: & ad illa verba: *Si alguno pusiere algun censo sobre su heredad (scilicet, Que diere) con condicion &c.* Hic tamen intellectus ad literam nostræ legis prorsus extraneus atq; eidem contrarius est, cum ea plane loquatur in censu ordinario & frequentissimo, de quo in extravagâ. Calixti & Martini, vt litera ipsius aperte sonat: & præterea interpretatio Mexiæ violat prædict. verba, addendo atque supplendo, quę non sunt in litera & pervertendo ipsius planum sensum: si enim juris interpretib. liceret verba aliqua legibus addere, vnusquisq; pro suo libito inveniret leges, vt probarent quod vellet, quare tenendus non est hic intellectus, sed potius rejicitendus, *vt asserui vbi supra, & post me Olanus in sua Concordia Iuris, litera A nu. 104.* Nunc addo prędict. suppletionem ad nostram legem minime posse stare, dum interpretatur illa verba, *Sobre su heredad*: scilicet *Que diere*: Nam inquit statim lex. *Con condicion que si no pagare a ciertos plazos, que caya la heredad en comisso.* Ille ergo qui super suo fundo constituit censum alteri solvendū, est qui posuit conditionem, vt si certis terminis ipsemet non solverer, fundus caderet in cōmissum: quo fit, vt in priori specie supra dicta, vt communis existimat lex nostra loquatur aperte, non vero in ea, quam fingit Mexia. Nā qui fundum suum alteri tradit sub censu vel pensione emphyteusis annua sibi solvenda feudum (quo casu ipse existimat loqui hanc legem) non est qui tenetur solvere prædictum censum emphyteuticum, sed imo cui solvendus est: & qui recepit fundū prædicto modo, est qui pensionem danti solvere tenetur, sed illa verba, *Si no pagare*, referūtur *al que pone sobre su heredad algun censo*: Ergo intelligi minime possunt de dante hereditatem suam sub censu, sed de venditore census super fundo penes se remanente.

Supervenit † novissime subtilis Albornoz, qui *in suo*
4 *lib. 3. Del arte de los contratos, tit. 1. fol. 111. col. 3. & 4. & fol. 112. col. 1.* inquit, forsan se non mentiri, si affirmaret legem nostram, postquam fuit condita, nūquam vsque adhuc fuisse intellectam à glossatorib. ejusdem quia est notorium nunquam fuisse servatam: tandem resolvit eam esse justam & rationi consentaneam, contrariumq; asserentes errare, nisi ea intelligenda foret sicut ipsi eam intelligunt communiter, nempe. *Que si el que vendiere el censo no pagare la cantidad que recibe a cierto plazo, el censo quede perpetuo* emphyteusis, quia conditio hæc continet expressam vsuram: quare ipse aliter & noviter dicit legem nostram intelligere, nēpe vt conditio hæc del commisso. *Si no pagare a ciertos plazos*, non referatur ad solutionem sortis principalis, sed censuum decursorum, & sic quod valeat conditio, vt si census non solvatur biennio terminis constitutis, fundus cadat in commissum, juxta priorem sensum communem supra me adductum: Attamen ideo justa est hæc lex nostra, quoniam secundū ipsum contractus ille census redimibilis habet pactum de retrovendendo, quod præcessit pœnam, ita, vt dans pecuniam ad censum, videatur emere fundum (super quo constitui debet census) à domino ejus, cum pacto de retrovendendo, vt quotiescunq; pecunia [hoc est] precium sibi reddatur, reddet & ipse fundum, quo existante dominus census remanet perfectus dominus fundi, & tanquam rem propriam reddit priori domino ad censum, & licet propter pœnam res in commissum ceciderit, nihilominus propter pactum de retrovendendo, cui interpositio pœnæ non obest, poterit censuarius eam recuperare: Tandem inquit, quod cū in scripturis census, quę communiter hodie conficiuntur, pactum de retrovendendo sit conditio ipsius census & pars contractus, omnes census prædicti sunt vsurarij absque dubio quia est conditio contra naturam census, qua censuarius obligatur ad eum redimendum intra certum tempus. Hęc in summa ille, prolixioribus licet verbis:

Certe omnia hæc dicta [pręterquam in eo, quod cōmunem intellectum nostratium supr. per me assignatum ad nostram l. concernunt) adeo subtilia & delicata sunt, vt mihi in falsitatem notoriam declinare videātur, & ideo cavendū esse à tali doctrina, & vt ita fiat, retuli libentissime eam reprobans, quia falsa est.

Et primo fallitur pręfatus auctor, dū affirmat Glossatores communiter intelligere nostram l. in pacto & cōditione apposito solutioni sortis principalis, nempe, vt si ipsa intra certum tempus nō solvatur census, efficiatur perpetuus emphyteusis. Nā glossatores nostræ l. minime eam hoc modo intelligunt, sed vt prędixi in primo intellectu supra assignato, nempe quod prædict. conditio si non solverit, &c. apponatur contractui censuali, & referatur ad reditus decursos, non vero ad sortem principalem: nec poterant eam intelligere, provt existimabat ille Modern. quia illa verba, *Si no pagare*, referuntur necessario ad præcedentia. *Si alguno pusiere sobre su heredad algun censo.* Et sic ad censum ipsum quotannis solvendum, hoc est, ad pensiones & solutiones decursas, nō vero ad sortem principalem: quia solvi præcise intra aliquem terminū minime cōvenire potest: quia esset vsura notoria, vt ipse affirmat, qua ratione nec cadere poterat in intellectū vllius sanæ mētis, quod lex nostra approbaret hujusmodi pactum nec conditionem contra naturam census, nec aliquis glossator id proferre auderet in precio & sorte principali contractus mere censualis.

Secundo fallitur in sui nova sententia principali, dū existimat, atq; expresse docet, quod postquam pœna commissi fuerit incursa propter nō solutionem redituum duobus vel tribus annis, juxta cōditionem cōtractus, & sic ceciderit res in cōmissum, possit dominus rei propter pactum de retrovendendo eam recuperare: Nam in primis verū minime est propter prædictam cessationem solutionis pensionis ac census, & sic propter cōtraventionem conditionis rem cecidisse in commissum: nam quamvis hoc nostra lex disponat, nūquam fuit servata, nec in praxi admissa hoc in casu, vt ipsemet recte fatetur, & infra referetur: quia hujusmodi pœna commissi in contractu censuali est iniqua atque injusta, miniméq; exsequutioni tradenda, vt supra est dictum. Ponamus tamen rem cecidisse in commissum, veluti in contractu emphyteutico planum est, certe tunc post incursam pœnam minime haberet locū † luitio: quia qui cecidit à re, & sic resoluto contractu censuali, cecidisse etiam videtur à jure & facultate luendi in ipso contractu concessa, quæ est pars ipsius contractus, qui cum jam sit exstinctus, exstincta etiam censetur prædicta facultas in eo concessa, *vt latissime resolui in meo consil. 12. per totum præcipue num. 17. & sequentibus.* Præterea esto, quod virtute prædicti pacti debitor census posset rē postquam cecidit in commissum, recuperare, oblato precio, adhuc esset iniquum satisq; iniustum, vt prędicta res censualis caderet in commissum ob prędictam conditionem nō solutionis, vel similes: Nam quid proderit huiusmodi pactum de retrouendendo hoc casu, si censuarius ita pauper fit, vt sua substantia priuatus non habeat repetendi facultatem? Quid si moriatur, aut ob aliam caussam non retrahat: Nonne creditor tunc iniuste possidebit rem maioris multo precii hoc cōmissi colore? Præterea etiamsi virtute prædicti pacti rem recuperauerit, si fructus illius interim percepti plus valeant quam tributum census, vt sępe cōtingit, nonne illud, quod plus recipit, sapit vsuram? Et ita cùm iudicio præfatam opinionem Albornox reprobat in hoc Olanus *vbi supra, nu. 105. & seq.*

6 Tertio † manifeste decipitur idem auctor, dum affirmat, quod per contractum census dans pecuniam videatur fundum emere cum prædicto pacto, vt quotiescunq; sua pecunia reddatur, reddere & ipse teneatur fundum, & quod dominus census remaneat perfectus dominus fundi, & tanquam dominus eum postea reddit ad censum, & quod iuxta hoc pactum de retrouendendo præcedit censum: quod prius voluit Palat. Rub. *in dict. l. 68. Taur. n. 2. in vers. est ergo argum. l. singularia ff. si cert. pet. & Ant. Gom. in dict. l. 68. Taur. n. 2. vers. ex quibus ego infero. & notat Matienc. in l. 3. infra eod. tit. 15. hoc lib. 5. Noua Collect. Reg.* Hoc enim manifeste est falsum, nam per emtionem census non emitur ipse fundus super quo census constituitur, nec dominium eius vllo modo in emtorem cēsus transfertur, sed tantum emitur ius quoddam percipiendi reditus vel fructus illius fundi vsque ad quantitatem census quotannis soluendi iuxta veram resolutionem, quam probat noster Couar. *lib. 3. variar. c. 7. nu. 6. in vers. quod idem diximus, & latissime omnium Auendan. respons. 12. per totum*, amplians etiam si in contractu dicatur quod venditur dominium directum rei, super qua census constituitur, & optimè Mercad. *in su o tracta. de tratos y contratos, cap de los censos. col. 3. & 4. fol. mihi 74. Gregor. Lopez in l. 28. tit. 8. g. 10. A censo, in princip. in vers. sed quid de contract. bis, part. 5.* In contractu enim huiusmodi censuali non transfertur res nec dominium illius directum vt vile in emtorem census, sed imo id penes se retinet venditor obligatus tantùm ad censum soluendum cum hypotheca rei certæ, super qua imponitur, & obligatione personæ, & aliorum bonorum, vt optime declarat Grat. *consil. 217. & cum referens Guiller. Rodoa Genuen. in tract. de reb Eccles. non alien. in rubr. de constitutio. annu. census in reb. Eccles. illiusque vendit. nu. 6. pag. 101.*

7 Præterea † quod fingamus rem venditam statim restitutā censu constituto, sustineri non potest, quia eodem tēpore contractus, & distractus concurrere non possunt à quocunque incipias, *l. qui sic soluit, cum simil. ff. de solut.* ideo hic circuitus imaginarius est, confictus & simulatus, non verus, *vt in terminis nouissime aduertit. Doct. Simanc. lib. 7. selectar. interpret. c. 1. nu. 18.*

8 Deniq; † miror, quomodo auctor præfatus Albornoz damnauit omnes cōtractus censuales hodiernos, eo quod pactum de retrouendendo conditio ipsius census, & pars contractus, hoc naq; absonum & inepti ssimum est, cum potius præd. contractus census redimibilis, seruatis tamen seruādis, sicut liciti, *vt in extrauagant. Calixti III. & Martin. V. de emt. & vend. & late per Doct. Soto, libr. 6. de iust. & iur. quæst. 5. art. 1. & sequentibus, folio 550. & latissime idem probat plures referens Doct. Couar. vbi supra, dict. lib. 3. variar. cap. 7. num. 2. per totum, & Gregorius Lopez vbi s.* dicens, quod hæc pars de rigore iuris videtur verior & communior in et Doctores, & quod stantibus dictis declarationibus Papalibus non est amplius disputandum, *& Mercado, vbi supr. Nauarr. Commentariis ad cap. 14. quæst. 1. n. 27. & seq. & Valdesc. de iure emphyt. q. 11. n. 9.* id quod hodie motu proprio Summus Pontifex Pius V. declarauit ann. 1569. super forma creandi census, lato 14. Calend. Februar.

Nec † illiciti vllo modo dici possunt cōtractus cen- 9
suales, eo quod in eis apponatur præd. conditio pacti de retrouendendo: Pactum enim hoc non habet eum sensum, quem præfatus Modernus, exprimit, nempe quod censuarius obligetur ad cēsum ipsum redimendum intra certum tempus, hoc enim si ita conueniret, vsurarium esset, *vt in prædictis extrauag. cauetur, & probat late Doct. Soto vbi s. artic. 3. fol. 558. Nauar. vbi s.* sed id expresse continet, vt quotiescunque venditor census obtulerit, reddideritque emtori eiusdem sortem principalem cum reditibus decursis, census sit sublatus, & fundus super quo cōstitutus, ceteraq; bona venditoris illi subdita atque hypothecata, libera ab eo remaneat, quod nedum male non sonat, verùm iustissimum est & approbatum per summos Pontificea prædictos, & tenent Soto & Nauar. *vbi supra.*

Nec etiam est debile, vt pactum hoc de retrouendendo censum ipsū præcedat, & sit distinctum ab eo, vt perperam præd. Modernus asserebat, cùm semper, & nunc apponatur in eodem contractu, sitque ei cōtemporaneum. Præmaximè quia hoc ipsum præsupponit significatio propria ipsius pacti de retrouēdendo: retro enim vendere præsupponit primam venditionem, & sic constitutionem census, & in terminis quod iste contractus census cum conditione de retrouendendo sit licitus dum, tamen in contractu census dicatur, quod sit in facultate debitoris censum illum amouere soluendo precium, quandocunque voluerit, tenet alios allegans Doct. Castill. *in d. l. 68. Taur. glo fin. vltima quæst.*

Et fictio, quam ille inducebat, nempe quod dans censum videatur emere fundum cum pacto de retrouendendo, & sic efficiatur dominus, & tanquam dominus perfectus illius reddit eundem cēsuario ad cēsum, & quod hoc modo pactum de retrouendendo præcedat censum, ac per consequens quamuis fundus propter censum non solutū certis annis cadat in commissum iuxta conditionem contractus, virtute tamen dict. pacti, cui non derogatur per commissum, possit censualis oblato precio rem recuperare, falsa est, & ex proprio capite nullo iure fundata, quoniam, vt prædixi, per emtionem census non emitur ipse fundus, sed ius percipiendi reditus vel fructus illius fundi vsque ad quantitatem census quotanis soluendi: & quamuis dicta fictio iuridica esset, adhuc tamen cum prius agatur de emtione census, non posset dici pactum de retrouendendo præcedere ipsum censum, sed vtrumque eodem tempore concurrere, cum ad eundem actum conficiendum tendat, nempe, constitutionem census: imo verius posset dici, si aliquid eorum præcessit, esse census tractatū, quod principaliter agitur, & ideo id esse attendendum, *l. si quis neque caussam. cum simil ff. si cert. pet.* & nouissime post hęc iam diu scripta præfatum Modern. *in supra dict.* nominatum reprobat noster Concanon. Mag. Palat. *lib. 4. de contract. & restit. c. 5. pag. 303. & seq.*

Superest igitur, vt priorem supra relatum, & sic cōmunem intellectum literalem nostræ legis Regiæ approbemus, vt ea loquatur in pœna commissi apposita in mero cōtractu censuali consignatiuo, & ideo cōtineat rigorē, cum pœna cōmissi in his censibus consi-

gratiuis sit iniusta & iniqua: Quamobrẽ † praxi nũquam fuit accepta nec obseruata dispositio nostræ legis, sed eo tantum casu, vbi census perpetuus constituitur absque redimendi pacto, & res super qua constitutus est, ipsius erat, qui pensionẽ annuam sibi soluendam fore cauerit, alioqui benigno quodam iure nunquam obtinet is, qui rem iure & ratione commissi reddi sibi postulat. Facile enim res redit ad suã naturam, & sic ad dominum priorem, cuius fuerat, qui eã deuit præd. conditione, vt potuit, vt deduxi post alios quos retuli *in dict. meo tract. de iuramento confirmat. dict. cap. 31. num. 10. sequitur Valascius de iure emphyt. quæst. 31. nu. 31. & post meidem probauit Olanus in sua concordia iuris, litera A. nu. 97. fol. 23. & Matienc. in hac l. 1. tit. 15. lib. 5. Nouæ Collect. Reg. glo. 2. n. 4.* dicens hanc praxin maximam habere æquitatem, & ipsius etiam eum esse testem: quam practicam iustam iuridicamq; censet, quamuis repugnet verbis *dict. l. 68. Tauri*, ibi *Si alguno pusiere sobre su heredad.* Didac. Per. *in l. 2. tit. 2. lib. 8. ordinam. veter. pag. 36.* Et ita est tenendum quicquid contra velit Ioan. Gatsia Gallæc. *de expens. & melior. c. 9. nu. 64. & seqq.*

11 Qua † ratione & l. nostra procedet in censu emphyteutico perpetuo redimibili, vt bene probat Mexia *vbi 5. nu. 36. nempe in dict. l. Regia, De los terminos &* in pragmatica taxæ panis, *conclus. 6. n. 124. dixi in dict. 1. parte de iurament. confirmatorio, cap. 31. num. 10. in fin. & in fin. & in dict. meo consil. 12. nu. 1.*

SVMMARIA.

1 *Venditor domus vel fundi, super quo erat prius constitutus annuus census redimibilis, si emtor id ignorabat, an postea ob id rescindatur? & nu. sequent. resoluitur negatiue.*

2 *L. 63. tit. 5. part. 5. intellectus, & nu. 4. & 5.*

3 *Emtor non tenetur soluere precium, quousque res emta liberetur ab hypotheca super ea imposita vel contracta, ad quod emtor principaliter etiam agere potest.*

L. 1. & 3. tit. 15. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO CLXIX.

1 QVÆRO, *tan venditio domus vel fundi, alteriusue rei immobilis super qua erat constitutus annuus census redimibilis, rescindatur, si emtor id ignorans tempore contractus venditionis, postea sciat & petat rescindi prædict. contractum sibique reddi precium, quod soluit, vel si liberari à precio conuento soluendo soluendo, vel parte ipsius non soluta, & ab obligatione à se facta super eo?* Et quidem pars affirmatiua vera videtur ex hac *l. 2. tit. 15. lib. 5. Nouæ Collect. Reg.* quæ habet, vt vendentes, & imponentes censum annuum vel tributum super bonis suis, teneantur declarare censum priorem constitutum super eisdem bonis sub pœna dupli, & quod de nouo idem census constituatur, & sic annullatur secundus census: Nam si vendens secundum censum annuum, ex quo non transfertur dominiũ rei, sed tantũ venditur ius quoddam percipiẽdi ex reditibus fundi, vt supra est dictũ in quæstione proxime præcedenti, tenetur sub præd. pœna manifestare priorem, à fortiori ad idem tenebitur vendẽs proprietatem & possessionẽ eiusdem fundi, & transferens simul in emtorem per traditionem dominium directum & vtile sub eadem pœna, nempe dupli precii recepti. Secundo pro eadem parte facit *l. 2.* statim sequens, disponens, vt omnes contractus census registrentur seu describãtur in quodam libro publico intra terminum sex dierum, & quod alias fidem minime faciãt, nec iuxta eos iudicetur, &c. cuius legis ratio ea sola esse potest atq; est, vt hoc peruenias ad notitiam secundi emtoris census, & sic ne ignari decipiantur: si ergo hęc notitia deficiat, quia venditor minime de clarauerit secundo emtori priorẽ censum, nec descriptus ille sit in libro publico, vel forte non sit liber publicus, vbi census describantur, non debet remanere in damno secundus emtor ignarus, quinimo venditor tanquam culposus, imo dolo non carens, si forte sciebat priorem censum, eumque non manifestauit, in hoc puniri debet, vt patiatur rescissionem sui contractus venditionis rei.

Tertio † pro hac eadem parte allego expressiorem, z *l. 63. tit. 5. p. 5.* quæ ita se habet: *Caso o torre que deue seruir, dumbre a otro, o que fuesse tributaria, vendiendo vn hombre a otro, callando el vendedor e no te apercibiendo dello a aquel que la compra, por tal raz on como esta puede el comprador des fazer la vendida, e es tenudo el vendedor de tornale el precio con los dannos emenoscabos que le viniessen por esta razon:* Quæ lex in hac sua principali decisione procedit etiam si vẽditor sit ignorãs illius tributi adhuc enim rescissio contractus habebit locũ, licet hoc casu ad damna & interesse minime teneatur, cum sit ignorans, sciens aũt ad vtrumque tenebitur: nam licet attẽto iure cõmuni tantum agi posset hoc casu ad interesse, *vt in l. 1. §. 1. & in l. Iulianus, §. Iulianus, ff. de actio. emt.* & sic venditor ignorans teneatur, quãto minoris propter seruitutem vel tributum emtor emisset rem, in quo comprehenditur, vt etiamsi pro nihilo emisset, vel nullo modo emisset, vẽditio rescindatur, & totum precium reputatur *vt in illud §. minus, ff. de tribut. declarat Salyc. in l. si minor, ff. de act. emt.* & in terminis tenet Gregor. Lop. *in dict. l. Partita, in gloss. Vendedor, refert & sequitur Didac. Perez, in Rubr. titul. 2. lib. 8. ordinam. fol. 29.* attamen attento eodem iure communi, *& dict. l. Regia*, erit in electione emtoris, an velit stare emtioni, & agere ad interesse, *vt in dict. iuribus*, vel eam dissoluere, *vt in dict. l. 63. ita resoluit Gregor. Lop. ididem in glo. desfazer*, quam sententiam sequitur Anto. Gom. *2. tom. c. 1. nu. 43. col. fin. illius num.*

His autem non obstantibus, contraria sententia verior est & tenenda in terminis nostræ quęstionis, imo quod venditio rei immobilis rescindi non debeat ob censum redimibilem prius constitutum super illa re, emtori eiusdem non manifestatum, itaque emtor ipse hoc petere non poterit, sed tantũ vt res illa liberetur à prędict. censu, sicque vt venditor condemnetur, vt dum census redimatur, & soluãtur census reditusque decursi, & decurrendi vsq; ad actualem redemtionem censu principalis, ita vt res præd. libera remaneat ab illo onere & tributo. Nam si aliquis emat rem alteri hypothecatam, talis emtor, etiamsi res sibi tradita sit, non tenetur soluere precium venditori, nisi prius res liberetur à præd. obligatione & hypotheca, ad quod etiam dictus emtor principaliter agere potest, scilicet vt res liberetur, *vt est text. & ibi notant gloss. Bartol. Bal. & Salyc. in l. ex prædiis, C. de euict.* & similiter dictus emtor agere potest ad id, quod sua interest dictã rem sibi venditam non fuisse, nec esse alteri obligatam, *vt in l. si rem meam. & ibi Bartolus ff. de solut. & Angel. per text. ibi in l. 1. § si heres ff. ad Trebell. vt ibi refert & sequitur Alex. & Anton. de Fan. in tractatu de pignor. in primo membro 5. part principalis, n. 14.* vbi quid quando hypotheca non est pura, sed conditionalis: ergo cum ex venditione census contrahatur hypotheca quædam irregularis rei vel rerum super qua, vel quibus census constituitur, *vt constat ex traditis per Doct. Couarru. l. b. 3. variar. resolut. cap. 7. num. 6. & 7. colum. penultim. & final.* Et præterea census hic sit redimibilis ad voluntatem venditoris, & sic onus hoc & obligatio siue hypotheca tolli possit, & libera res affici facto ipsius vendi-

venditoris, consequens est, vt tantum resarciatur emtori, quantum abstulit taciturnitas census tẽpore vẽditionis rei, nempe vt libera res efficiatur, quæ tamẽ libertas non affuit à principio, quo medetur damno emtoris, nam si ipse allegauerit se tanquam liberã rem emisse, alias non emturum, si sciret prædict. censum, eo sublato atque exstincto, cessabit hęc allegatio: Prętera si venditor sciens fuerit, tenebitur ad damna & interesse emtori, si quæ subsequantur vel subsequuta fuerint eidem ob nõ factam declarationem dict. oneris vel census, iuxta superiorẽ doctrinam: Hac igitur satis factione indemnis & securus remanebit emtor, ideo non oportebit nec iustum est contractũ venditionis rei rescindi, & ita vidi, secundum hancopinionem in praxi pronunciatum & obtẽtum fuisse in Regali Cancellaria Pinciana.

Non obstans *l. 2. & 3 huius tit. 15. lib. 5. Noua Collect. Reg.* in contrarium ponderatæ, hæ enim leges non loquũtur in nostro casu, nec in nostris terminis, & cùm sint pœnales, non sunt extendendæ nec trahendæ ad alium casum extra eum in quo loquuntur, *vt in c. odia restringi, cum similib. de regul. iur. in 6.* nunquamque vidi dispositionem dictarum legum in vsu esse, nec in praxi admitti, nec librum publicum fieri, nec esse, in quo census describantur: Quare etsi quam plurimas exsequutiones viderim factas virtute contractuum, censuum decursorum, nusquam tamen vidi allegari in oppositionibus eorum eos non fuisse descriptos in prædicto libro, ideoque non valere *iuxta dict. ll.* nec ob id exsequutiones prædict. annullari, quamuis Matienc. *in hac l. 3. gloss. 3.* dicat praxin admisisse, vt nostra lex intelligatur in venditione cẽsus duntaxat, vt debeat registrari in libro publico, non vero de venditione ipsius rei.

4 Non † ostat etiam *dict. l. 63. tit. 5. p. 5.* quæ fortior videtur contra hanc nostram sententiam, nam eam intelligo in retributo vel censui perpetuo atque onerato, secus si census sit redimibilis: hocque colligo ex verbis eiusdem l. dum æquiparat seruitutem & tributum in proposito. Nam quemadmodũ regulariter & à communiter accidentibus seruitus est perpetua, ita etiam tributũ in casu eiusdem legis perpetuum esse debet intelligi: quod ratione corroboratur, nam retributo perpetuo subiecta, æquum est vt ob id venditio rescindatur, cum alio modo integre satis fieri nõ posset emtori læso, quamuis si ipse eligat hoc casu resartionem potius damnorum & interesse, quam contractus rescissionem, sit audiendus, vt modo dicebamus: at in retributo & cẽsui redimibili subiecta, cessat prædicta ratio, cum ab eo tributo, & censu liberari facile queat ad voluntatem venditoris: Quare nil mirum si diuersum ius inter hos duos casus statuatur, & quia in dubio in quantum possibile sit, sustineri potius debet contractus quam rescindi, vt actus valeat, & nõ pereat, *vt in l. quoties. cum si milib. ff. de reb. dub.* Præterea res tributaria de qua loquitur dict. l. Partitę, in potiori significatu accepta, & secundũ subiectam ibi materiam rescissionis contractus debet intelligi de re perpetuo tributaria, non vero de illa, quæ ad tempus vel ad voluntatem debentis tributum tributaria tantum est, ne detur amplior locus rescindendi contractus. quandoquidem si de hac vltima etiam intelligeretur, sæpe ac sępius lites in iudicio agitarẽtur super rescissione similium contractuum, cum crescentibus quotidie hominum necessitatibus atque inopiã, ferquenter census redimibiles vendantur, & super rebus immobilibus constituantur, raroq; venditionem rei immobilis continget fieri, quę non sit prius onerata huiusmodi censibus redimibilibus: & in dubio, an annuus cẽsus intelligatur perpetuus vel redimibilis, videndus est latissime Doct. Couar. *vbi 3. variar. resol. cap. 10. nu. 5. per totum*, vbi plures casus constituit, & an cõtractus censualis vel emphyteusis in dubio sit iudicãdus, videndus est late id agens Velascus *de iure emphyt. 9. 2. nu. 35.* nihilominus quo ad nostrum propositum attinet, res est expeditior, quia *dict. l. Partita*, non agit de cẽsu, sed de re tributaria, quę in potiori significatu, & iuxta subiectam materiam & rationi congruẽtius accepta potius in perpetuo tributaria quam alias intelligi debet ex supra dictis.

Ac † eisdem rationibus intelligo *dict. l. Partita* procedere tantũ in re specialiter tributaria, vi ex mente verbisque eiusdem constare videtur: secus vero si generali oneri vel hypothecę cẽsus vel tributi subnixa sit: tunc enim sufficiet cautio cum hypotheca bonorum vel fideiussione de conseruando indemnem emtorẽ à prædicta generali obligatione: quandoquidem dicta liberatio præstari nõ possit, cum census est perpetuus, quia ille, debetur, nollet consentire, vt liberetur, ex his, quæ in obligatione seu hypotheca conditionali tradit Anto. de Fano *vbi supra*, quę hic quoque vrgere videntur, quandoquidem census vel tributum est specialiter cõstitutus super aliis bonis, in quibus ad peritionem secundi creditoris prius agi oportet, quam in bonis generaliter obligatis, *argum. l. quamuis, La segunda, C. de pign. & qua late tradit Doct. Couar. lib. 3. variar. resol. c. 18. per totum, & Doct. Molin. lib. 4. de Hispan. primogen. c. 7. nu. 20. & seqq.* quæ si hoc casu locum nõ habeant, habebit tamen dispositio tex. *in authen. hoc si debitor, C. de pign. & l. 14. tit. 11. part. 5.* cum hypotheca generalis adiecta contractui census sit ordinaria, *vt tenet Doct. Couar. lib. 3. var. resol. c. 7. n. 7. propè fin. vers. quod si ad solutionem.*

SVMMARIA.

1 *Reditus perpetui absq; pacto redimendi emi iusse possunt soluendo in frumento, vino, oleo & similibus, item & redimibiles super re propria in alium translata in præd. rebus soluendi.*

2 *Hoc fallit, quoties in fraudem l. Regia 4. titul. 15. libr. 5 Nouæ Collect. Regia id fieret, vt in exemplo hic posito.*

3 *An resolutio posita supra dict. num. 1. procedat etiam quoties res immobiles prius venduntur certo quodam precio, postea vero dum precium prædictum non soluitur, pensio soluenda in prædictis vtilualibus constituitur, quæstio difficilis & late examinata, resoluitur negatiue.*

L. 4. tit. 15. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ

QVÆSTIO CLXX.

QVæro † circa *l. 4. titul. 15. lib. 5. Nouæ Collect. Regiæ*, decidentem, *vt census redimibiles constituti non possit soluendus in pane, vino, oleo & similibus, & constituendus in prædictis rebus reducatur in precio eius à principio dato ad respectum quatuordecim millium vnumquodque milliarium reditus, vt in pecunia soluatur, & non in prædictis rebus*, an huius legis dispositio & prohibitio comprehendat census perpetuos irredimibiles? Et quid dicendum sit in censibus cum pacto redimendi super proprietat. quã quis in alium transfert per contractum census ea lege, vt sibi quotannis soluantur tot frumenti mensuræ, vini vel olei, redimendi facultate concessa, quoties cetiæ pecuniæ quantitas soluta fuerit? Et profecto in his quoq; casibus locum habere *d. l. Regiam*, verba & ratio finalis ipsius expresse insinuare videtur, ibi, *Se han seguido y siguen grandes inconuenientes en danno, y graue lesion de los que assi con necessidad los han puesto, y ponen, sue acordado, &c.* Loquũ-

tur enim lex de damnis, quæ ex impoſitione cenſuũ modernorum, *Al quitar ſehan ſeguido y ſiguen*, quoties ſolutio eorum fieri debet in pane, vino, & oleo, & ſimilibus, quare his cupiens mederi, pręcipit, quod ſupra dictũ eſt: hæc autem damna eadem ſequentur ex cõſtitutione cenſus perpetui irredimibilis, itē & redimibilis ſuper re propria in aliũ translata: Quod patet, quia ideo lex noſtra prohibet dictos cenſus redimibiles in pane vino, &c. ſoluendis, quia harum rerũ precia in Repub. frequētiſſime augentur & variantur nec poteſt certum precium certave æſtimatio tēpore emtionis fieri: & ideo aptior eſt ad exceſſum iuſti precii & ad deceptionē, hęc emtio quam illa, quæ de numaria pręſtatione tractat: quę ratio licet ſufficiens nõ ſit, vt omnino hic cõtractus damnetur, ea tamen perſuaſit huius legis permutationem lege hac fieri *ſecundum Doct. Couarru. lib. 3. variar. reſolut. cap. 10. numero 3.* vbi refert ex Carol. Molin. & Rupellan. eadem ratione ſæpiſſime Pariſ. ſenatum arreſtis & decretis idem prope ſtatuiſſe: hæc autem ratio militat in duab. ſpeciebus ſupra enumeratis, de quibus eſt noſtra quęſtio ergo idem ius ſtatui debet in eis.

Nihilominus tamen contrariũ in terminis de quibus agimus, verius mihi videtur & tenendum, imo quod non obſtante noſtra hac lege reditus perpetui, abſque pacto redimendi emi iuſte poſſint, ſoluēdi in frumento, vino, oleo & ſimilibus: idem & redimibiles ſuper re propria in aliũ translata in prædictis rebus ſoluendi, quoniam legis noſtrę deciſio, quę contraria videbatur, tantum agit in cenſibus redimibilibus pecunia accepta ſuper re propria ſoluere debētis ipſum cenſum conſtitutis apud eundem remanente, vt conſtat ex eadem ibi. *Que los cenſos alquitar, &c.* Vnde cum ſit deciſio noua & exorbitans (quia de iure communi contrarium tenebat Ioann. de Anan. *in cap. in ciuitate, de vſur. quem & Couar. lib. 1. variar. reſolu. cap. 15. nume. 11. ad hoc refert*: *Olanus in ſua Concordia iuris litera A. num.* 94. notans eam Antinomiam inter ius commune & Regium) extendi nõ debet ad alios caſus, de quibus non loquitur, *argument. l. ſi vero. § de viro, cum ſimilibus ff. ſolut. matrim.* In prædictis ergo ſpeciebus, de quibus eſt noſtra quæſtio, locũ habere nõ debet lex hæc Regia, cum ſint diuerſæ ab ea, in qua ipſa loquitur, & in terminis, quamuis aliud agens, ita tenet Doct. Couar. *lib. 1. variar. reſolut. c. 15. nu. 11.* quam ſententiam probo.

Non obſtat fundamentum ſupra in cõtrarium adductum, nempe quod in hiſce caſibus militet eadem ratio, quoniam cũ ſimus in correctoriis, & ea in ſpecie non ſit expreſſa in lege, extenſio locũ non habet, *iuxta tradita per glo. & Doct. in authent. quas actiones, precipue per Jaſ. ibi num. 21. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* vbi quod eſt vera & cõmunis concluſio & regula; Quod in correctoriis nõ eſt licita extenſio etiam ex maioritate rationis: & quamuis ibi *n. 22.* hoc limitet, quando ratio eſſet ſcripta in l. corrigente, prout eſt in hac noſtra l. Regia: hoc tamen ſublimitat, quando ratio expreſſe eſſet impulſiua, & iterum, niſi lex correctoria loqueretur taxatiue, quia tunc quãtũuis habeat rationē expreſſã, non fieret extēſio, *ſecund. Guil. Cyn. & Bal.* quos refert: ſed ratio pręd. expreſſa in noſtra l. ſufficiens non eſt, vt omnino hic contractus damnetur, ſed perſuaſoria, vt commutatio præd. fieret, vt diximus: ergo extenſio locũ non habet. Pręterea loquitur noſtra l. bis reſtrictiue, & ſic taxatiue in cēſibus redimibilibus, vt ex ea patet: Ergo ad perpetuos extēdi nõ debet per ſupra dicta: nec enim lex noſtra prouidere voluit, niſi in caſu de quo nuncupatim loquuta eſt: cenſuum enim perpetuorũ precium minime conſtituit, nec ſolutionē eorundem inter partes, in quibus nempe rebus ſoluendi ſint conuentam commutauit: nec præterea id fecit in qualitate pēſionis ſoluendę ex re in alterum translata ad cenſum, ſed tantum in reditibus in victualibus ſoluēdis propter precium pecuniarium pro cenſu redimibili conſtitutum vel cõſtituendum, ſolutum vel ſoluendum: Seruanda igitur eſt in in ſuo tantũ caſu, & præterea vbi in fraudem eiuſdem noſtræ l. alius contractus ſimularetur, nempe vbi conſtituere debēs † præd. cenſum ſuper fundo ſuo in prędict. victualibus ſoluendum quotannis Petro ob precium pecuniarium ab eo ſoluendum prius eidē Petro eundem fundũ ſimulate venderet vel donaret, ad hoc vt eidem Petrus in fraudem noſtræ l. eum ſtatim redderet atque transferret eidem priori domino ſub certa penſione annua redimibili in pane, vino, oleo, vel ſimilibus ſoluenda, vt hac fraude admiſſa fugere niterentur caſum proprium noſtrę legis: Tunc enim conſtito de præ. d fraude & ſimulatione vel ſimili, haberet locum noſtræ legis deciſio atque prohibitio, vt cauetur *in l. 5. ſtatim ſeq.* & ſic limitãda erit hæc noſtra pręcedens ſententia in modo relato & exemplo, & ſimilibus, vbi aliquid in fraudem legis fieret: Nec ratio finalis noſtræ l. quæ reſtricta eſt ad caſum tantũ de quo agit, nempe quando quis ſuper rebus propriis immobilibus cenſum quotannis alteri ſoluendum cõſtituit in pane, vino, oleo, & ſimilibus precio pecuniario à principio ad id accepto, militat in noſtræ quæſtionis ſpeciebus: quia præterquam ꝙ ipſæ diuerſæ ſunt, in caſu noſtræ legis cenſum cõſtituens neceſſitate pecuniarum coactus, & vt ſibi præſenti pecunia data ſubueniat, eum in præd. victualibus ſoluendũ promittat atque conſtituat indeque ingētia inconuenientia ſequuntur, in damnum & lęſionem ipſius, vt inquit noſtra l. in verbis ſ. relatis. At vero in ſecunda ſpecie noſtrę quęſtionis cenſus nõ conſtituitur pecunia data, ſed res immobilis alteri in cenſum & penſionē annuam redimibilem iuſte conceditur: ſicq; non pecuniarũ cupiditate nec neceſſitate, ſed quia ſic expedire videtur, id fit: in priori verò ſpecie noſtræ quæſtionis omnino ceſſat ratio huius legis, quæ in cenſibus redimibilibus agit: nos vero in pręfata prima ſpecie, in irredimibilibus perpetuis. 2

Sed an præfata noſtra ſententia procedat nõ ſolum in caſu quo loquuti ſumus in ſecunda ſpecie noſtræ quæſtionis, nempe qñ alteri datur res immobilis ſub penſione & cenſu annuo, redimibili tamen in prędictis victualibus ſoluendo: ſed etiam vbi præd. res ad penſionē tradita prius certo quodam precio pecuniario vēditur, poſtea vero in eodē etiã contractu vel inſtrumento, vel alio ſeorſum, dum precium non fuerit ſolutum, penſio ſoluenda in prædict. victualibus conſtitueretur: ingens dubitatio eſt: Nam videtur primo hoc quoq; caſu noſtram ſententiã procedere, vt in eo, nempe lex noſtra locũ non habeat ex eiſdem ſ. dictis rationibus, quæ hic quoq; concurrere & militare videntur: lex enim noſtra tantum loquitur in cenſibus conſignatiuis modernis, quos ſubditi conſtituunt ſuper bonis precio ſtatim pecuniario accepto in prædict. victualibus ſoluendis, vt cõſtat ex eius ſerie, ibi: *Porque ſomos informados que de los cenſos al quitar, que de pocos tiempos aca nueſtros ſubditos han pueſto ſobre ſus haziendas y heredades, & c.* & ibi. *ſe reduzga el dinero que ſe huuiere dado per el cenſo de las tales coſas, & c.* Quod ceſſat in noſtro præſenti caſu, nam in eo cenſus non cõſtituitur ſuper rebus ſoluere eũ debētis, nec precium pecuniariũ pro eo ſtatim ſoluitur, ſed res venditur & traditur certo precio, & in defectum ſolutionis ipſius certa annua penſio pro eo quotannis domino rei ſoluēda à recipiēte in victualib. conſtituitur redimibilis pro eodē pcio, Ergo ceſſare debet l. noſtræ diſpoſitio

Secundo

Secundo hæc eadē pars probatur. Nã nihil intereſſe videtur, quod initio cõtractus vēditio rei celebratur certo quodã precio cõſtituto, vel quod idē poſtea aſſignetur in facultate redimēdi: vtróq; enim caſu de mēte cõtrahentiũ cõſtare videtur volētiũ rem illam dict. precio æſtimare, quãvis diverſis vijs id fiat, ſed quoties à principio preciũ nõ conſtituitur, ſed res ſimpliciter datur ſub certo annuo cenſu quotãnis ſolvendo in victualibus, ſed cũ facultate redimendi, non habet locũ eo caſu noſtra lex, *vt ſupra reſolvimus*: ergo nec in hoc, de quo modo agimus, locum habere debet. Nihilominus tamen in hoc poſteriori caſu, nempe quãdo res certo quodam precio pecuniario vēditur, hac adjecta pactione, quod interim dũ illud preciũ nõ fuerit ſolutũ, emptor certum annuum cenſum in prædictis victualibus venditori ſolvat, cõtrarium verius credo, imo quod locũ habeat legis noſtræ deciſio, tunc etenim proprie & vere ſit venditio precio deſignato, ſecundum primã atque pręcipuam contrahentium intentionem, & ratione illius precij interim dum non fuerit ſolutũ, ſecundario conſtituitur reditus ſolvendus quotannis domino tradenti in prædictis victualibus: qua in ſpecie magis accedimus ad terminos, ſeu potius ad veram & ſubſtantialem rationē noſtræ legis, quam in priore, in qua conſtituimus noſtrã hac de re principalem quæſtionem: ſicque hæc erit altera & ſecunda limitatio ad noſtram principalem ſententiam, quam ſupra tenuimus *in d. quæſt. principali*. Prima enim fuit vbi in fraudem noſtræ legis alius cõtractus ſimularetur, vt in exemplo ſupra poſito, & ſimilibus. Secunda eſt, quam prædixi modo, de qua nunc agimus, nempe quoniam res certo quodam precio pecuniario venditur, hac adjecta pactione, quod interim, dum illud precium non fuerit ſolutum, emptor certũ annuum cenſum in victualibus venditori ſolvat: his enim duobus caſibus non procedit noſtra principalis ſententia negativa ſupra probata & defenſata: Sed potius in eiſdē noſtræ legis Regiæ deciſio ampliatur atq; ſervanda erit: in caſu n. hujus ſecundę limitationis noſtræ ſententię ex variatione & augmēto precij valoris horum victualium lęſio gravis ſequi poſſet in prędijudicium debitorũ, ideo reditus hi reduci vel jure optimo debēt ad pecuniam ad rationē vnius milliarij ſolvēdi in pecunia numerata pro ſingulis 14. milliaribus precij ejuſdē rei cõſtituti: & quãvis in hac ſpecie nullũ precium in pecunia numerata ſolutum fuerit, ſed res immobilis eodē precio æſtimata, vendita atq; emptori tradita, attamē cũ æſtimatio in jure in dubio inducere ſoleat emptionē, *vt in l. quoties, cum materia, C. de iure dot.* & præterea hic nuncupatim celebrata fuerit, conſequens eſt, vt tanquam pecunia debeat reputari eadem res, & ſic ſuccedit loco precij, quo ipſa æſtimata fuit & tradita: cõveniunt igitur & hoc caſu verba legis noſtrę, ibi, *Se reduzga el dinero que ſe huviere dado por el cenſo de las tales coſas, &c.* Nam cum res loco precij, & eo ęſtimata data fuerit, precium, & ſic pecunia precij poteſt dici datum, illúdq; reduci debet ad rationem 14. millium pro milliario, & ſic remanet ſatisfactum primo fundamento in cõtrarium ſupra adducto. Secundum etiam nõ obeſt, nempe non eſſe differentiam inter caſum hujus ſecundę limitationis, & caſum noſtrę ſententiæ in quæſtione principali: quia in vtróq; videtur de mente contrahentium conſtare volentium rem precio ęſtimare, &c. Nam reſpondeo, quod in priori ſpecie noſtræ ſententiæ, nempe cum rem meam immobilem vt fundum alteri concedo ad cenſum annuum in prædictis victualibus ſolvendum cum pacto redimēdi, nulla ſit venditio nec æſtimatio ipſius rei, quandoquidem precium pro ea non conſtituitur ſed ipſa ad cenſum conceditur: *argum. text. in §. precium, & in §. item precium, cum ſimilib. Inſtit. de empt. & vend. & in §. adeo, Inſtit. de locat. & conduct.* & merito quod in hoc caſu locum non habeat l. noſtræ deciſio, vt ſupra reſolvimus, cum mens nec verba ejus non cõveniant: *arg. l. 4. §. toties, cum ſimilib. ff. de damn. infect.* nec precium cõſtitutum in pacto redimendi emptionem inducit ejuſdem rei. Nam illud pro onere illo cenſus redimēdo potius aſſignatur quam pro ipſa re principaliter emēda, cum ipſa initio nõ vendita, ſed ad cenſum conceſſa fuerit. At vero in ſecunda ſpecie, & ſic in caſu ſecundę limitationis noſtræ principalis ſententiæ, res ipſa à principio precio conſtituto fuit vendita, quo caſu militat ratio noſtræ l. verbáq; ejus conveniunt, vt prædixi, & ideo ipſius diſpoſitio locũ habet: nihilominus res difficultatem habet, ſicq; erit locus deliberationi in caſu præd. 2. limitationis. Hodie tamen nova lege lata ad Reg. Gallœcię, ſupradict. quæſt. in ſpecie cenſus perpetui non redimib. in fructibus ſolvendi deciſa eſt per noſtrum invictiſſ. Reg. Philipp. *Dada en el Pardo, a 18. de Octubre, 1573. ante Anton de Eraſo.* Verba dict. novæ legis ita ſe habent.

Don Felipe, &c. ibi, *Y mandamos que todos los cenſos y tributos que en el dicho reyno de Galizia, ſe havieren anſi pueſto, y fundado por qualquier perſona dende el dicho anno de 534. a eſta parte, en pan, vino, y otras qualeſquiera coſas de las ſuſo dichas, cuyo valor reduzido a ſu comun precio que tenian al tiempo, y en los lugares que ſe fundo el dicho cenſo, ſalian à razon de à 14. mil el milliar y dende ab axo, que los tales cenſos que aſſi ſe huvieren fundado, y fundaren de aqui adelante, ſe paguen à razon de mil maravedis por cada 14. mil de los que huviere dado el com prador, y ſin embargo que en las dichas eſcrituras que dello ſe otorgaron, o huvieren otorgado, ſuenen ſer cenſos perpetuos, ſe ayan de iuzgar por cenſos redimibles, y como tales ſe puedan iuzgar, pagada la ſuerte principal, y en todo ſe iuzgue por las leyes que hablen en los cenſos redimibles Y los que ſanaren a mas precio de los dichos 14. mile queriendolos la parte del deudor reduzir, y pagar por ellos a razon de 14. mil a millar, lo pueda hazer y los tales cenſos ſe tengan y iuzgen por redimibles, aunque la ſcriptura los llame, y nombre perpetuos, que dando ſu derecho a ſaluo al dicho deudor que eſto no quiſiere, para ſeguir ſu iuſticia contra el ſennor del cenſo, ſobre el enganno e iniquidad del tal contrato, como viere que lo conviene.* Et ibi quid cenſendum ſit de reditibus decurſis, prout literam totam dict. l. refert Ioan. Garſ. Gallœcus *de expenſ. & melior. c. 9. n. 75. fol. 81.* ex cujus litera ſatis colligitur noſtra lex *de Madrid. dict. ann. 1534.* non habere locum in cenſibus perpetuis irredimibilibus in fructibus ſolvendis, quorum valor communis tempore & loco contractus attingit modum vnius pro 20. *vt recte prædict. auctor ibi probat, nu. 77.* & quamvis lex illa particularis illi Regno Gallœcię videatur, in his quoque regnis Caſtellę & Legionis obſervanda videtur: quia ratio ejuſdem generalis eſt: & quia cum Rex reſcribit vni provinciæ, omnibus reſcribere videtur, juxta doctrinam Bart. *in l. 3. § interdicere, n. 3. ff. de interdict. & releg.* præcipue cum dict. l. nova verſetur circa interpret. noſtræ *l. Regiæ*, de qua agimus.

SVMMARIVM.

1 *Annuus cenſus redimibilis, an pro minori precio vendi conſtituive poſſit quam ad rationem quatuordecim pro vno? Quod non.*

Eadem l. 4. tit. 15. lib. 5.

QVÆSTIO CLXXI.

QVæro † circa eandem *l. 4 tit. 15. lib. 5. novæ Collect.* 1 *Reg.* an ex ea cenſeatur prohibitum, quo minus cenſus pecuniarius redimibilis pro minori

precio possit emi quam quatuordecim, dando, scilicet duodecim aut decem pro vno anno levando, quemadmodum in multis locis passim hujusmodi census emi solebāt, & frequentissime apud Hispanos in provincia Bętica & alijs, quæ vltra Tagum Granatensi prætorio institutione Regia parent & subsunt, annui reditus redimibiles constitui solebant ad rationem decimæ: eáque constitutio illius senatus sententijs sæpissime comprobata fuit, propter communem hominum æstimationem, *vt testatur Doct. Covar. lib 3. variar. resol. c. 10. n. 2.*

Et videtur hoc non esse prohibitum hac nostra lege Regia, ipsa namque non precium certum censibus emendis, & in pecunia numerata solvendis imponit, sed census fructuarios ad certam, quam prædiximus, formam reducit, quę tamen sunt diversa: intentio autem Principis an eadem fuerit in casu nostrę quęstionis quę in casu deciso in hac lege non constat, nec ex verbis ejusdem satis aperte colligitur, ideo non esse damnandos, qui census novos pro precio in loco illo communiter currente emunt, sive quatuordecim sive duodecim pro pensione vnius solvenda communiter dentur in proprijs terminis tenet Doct. Medin. *in suo C. de restit. c. de censib fol. 178. col. 3.* addens quod esto, esset illa Principis intentio veteres census & novos in precio æquare, est tamen tam frequens in multis locis in oppositum consuetudo (quæ nec Principem latet, nec illi renititur) adeo vt merito præsumatur Principis mentem non esse talem consuetudinē prohibere, sed libere id permittere & concedere. Accedunt preterea huic sententię aliæ duæ rationes, quas ei assignavit Doct. Covar. *vbi supr. n. 3.* præfatus apud nos hanc esse non levem controversiam. Rursus pro contraria parte, imo quod lex nostra vtrumque prohibeat, & sic quod ea attenta non possit emi, nec constitui cēsus annuus redimibilis etiam in pecunia minori precio quam quatuordecim milliarib. pro vnoquoque milliario, facit nostra *l. 4.* Nam ipsa sanxit, vt reditus annui constituti in frumento, vino, oleo & similibus, cum pacto redimendi, reducantur ad rationem vnius pro 14. quod referendum est ad precium, quo empta fuit ab initio ea annua præstatio: Ergo istud precium vnius pro 14. definitur in nostra l. Præcipue quod in precibus Principi oblatis generaliter continebatur, hoc nempe modo ita oportere statui, ne quis consequatur pro quatuordecim vltra vnum, nec in gallinis, nec in alijs rebus: Vnde constat legislatoris intentionem eam fuisse, vt annui reditus justo precio ęstimarentur ad rationem vnius pro quatuordecim. Ita consideravit nostram l. *Doct. Covar vbi supra d. n. 3.* qui tandem neutram harum sententiarum eligere videtur pręcedentem tamen vltimo loco refert, sicque cum ea remanere videtur, nostra tamen hæc sentētia secunda hodie novissimè approbata est l. Regia lata à nostro invictissimo Rege Philipp. hujus nominis. Secundo, en Madrid, anno 1563. nempe *l. 6.* quæ est finalis *huius tit. 15. lib. 5. Novæ Collect. Reg.* vbi expresse disponitur, vt in posterum census redimibiles mimime constituantur minori precio quam 14. pro quolibet milliario, & alij antea constituti ad hoc idē precium reducantur: sicque amplius de hoc non erit disputandū: quia cessant omnino fundamenta contrariæ partis & ita per *d. l. 6.* tenet ibi Matinc. *gl. 1 n. 1.* Quinimo ante hanc l. asseruerat Covar. *d. c. 10. n. 1. ad fi.* quod sibi semper justior visa fuit horum redituum redimibilium æstimatio ad rationem duodecimæ, qua Hispani vltra Tagum vtuntur frequentius. hoc est, citra Tagum (loquitur enim Covar. vivens in illo Regno Granatens.) tametsi nec omnino damnet eam, quę ad decimæ rationem constituitur, hodie tamen per prędictam novam legem indistincte in omnibus partibus horum Regnorum præcipitur, quod dictum est, non obstante consuetudine loci vel provinciæ.

SVMMARIA.

1 *Census emphyteuticus super re quam quis tradit sub pensione annua solvenda redimibili, an pro minori precio constitui possit quam ad rationem quatuordecim millium pro quolibet milliario, per totam quæstionem distinguitur.*

2 *Statutum sive rescriptum declaratur ab his, quæ in precibus constituentur, ad quas statutum vel rescriptum refertur.*

3 *Reditus quando loco eius, quod vere interest, exiguntur, liciti sunt etiam iure Canonico.*

4 *Contractus, quo dives habens domum reddentem quotannis quinque tantum, eam vendit pro centum pauperi non habenti vnde precium solvat, constituenti tamen cēsum annuum pro illo precio super eadem domo addita personali obligatione, validus est, dummodo iustum precium annui reditus accedat, & in æstimatione domus iniquitas absit.*

5 *Licitum est dominis res aliquas fructiferas habentibus eas alijs pro voluntate tradere, reservantes sibi certam annuam pensionem inde percipiendam.*

6 *In quæstione principali supra, n. 1. posita pars affirmativa tanquam verior eligitur, quando prædicta res à principio certo precio non venditur, sed in emphyteusin traditur sub annua pensione quotannis solvenda, quamvis redimibili.*

7 *Motus proprius S. D. N. Pij Papæ Quinti super forma creandi census latus non loquitur, nec procedit quoties res in emphyteusin vel censum perpetuum alteri conceditur.*

8 *Nec quoties res immobilis venditur certo quodam precio, & pro eo census redimibilis constituitur.*

L. 6. tit. 15. lib. 5. Novæ Collect. Regiæ.

QVÆSTIO CLXXII.

QVæro † circa *l. 6. tit. 15. lib. 5. Novæ Collect. Reg.* cer- 1
tum ac justum precium censibus redimibilibus constituentem, nempe ad rationem quatuordecim millium pro quolibet milliario: *an procedat tantum in censibus ac tributis quæ à possidente ac censum soluturo super suis proprijs possessionibus fuerunt imposita & vendita, an etiam procedat in tributis & censibus redimibilibus alias solvendis dominis de possessionibus, quas ipsi dederunt, ab illis, quibus receperunt ad censum vel tributum quotannis solvendum cum pacto de redimendo?* Et videtur in prioribus censibus cautum loqui & intelligi nostram legem, de quibus præfatio nostræ legis agit, & super quibus Rex ipse consultus fuit, ac ei preces porrectæ fuerunt, non autem in tributis ac censibus secundo loco dictis, nempe in his, qui constituuntur in favorem alterius super possessionibus illius à constituente receptis: in his namque minus precium constitui poterit, nempe decem vel duodecim millia pro quolibet milliario juxta morem provinciæ in similibus contractibus: Et hoc primo, quia *vt supra dictum est*, in
prioribus tantum † præfatio legis nostræ loquitur, & 2
statutū sive rescriptum declaratur ab his, quę in precibus continentur, ad quas rescriptum seu statutum refertur, *l. si defensor, §. qui interrogatus, ff. de interrogat. act. c. inter dilectos, §. ceterum,* ibi, *ex forma petitionis, iuncta gl. de fide instrum. tradit late alios allegans Mexia in l. Regia Toleti. De los terminos, in secundo fundamento secundæ partis, n. 17, idem in pragm. taxa panis. in 6. conclusio. n. 130. & 131.*

Secundo, quia dispar est ratio in his secundis censibus, quę in prioribus: Nam hoc vltimo casu reditus consti-

constituūtur pro interesse perceptionis fructuum rei datæ à recipiente eam perceptorum, quod licet: *vt in*
3 *l. curabit. C. de act. empt. cap. salubriter, de vsur.* Imo † cum hoc non tanquam vsura, sed tanquam interesse in recompensam emolumenti possessionis per eundem emptorem recepti solvatur, licitum erit etiam de jure Canonico, juxta gloss. *in cap. conquestus, verb. de feudo, versic. alias enim posset attentari, de vsur.* Estque communis sententia, *vt late resolvi in meo tract. de iuram. confir. 1. part. c. 2. n. 3.*

Et in terminis nostræ quæstionis hanc sententiam sic intelligens prope similem pragmaticam Regni Franciæ tenet & probat Cassan. *in consuetud. Burgund. rubr. 11. §. 4. gl. penult.* nempe vt procedat, quando emptio reditus annui provenit originaliter ex primo, secus si ex hereditagio vendito, aut penes constituentem reditum annuum pro precio dimisso, pro quo constituitur reditus annuus: quia hoc casu habetur pro interesse perceptionis fructuū rei meæ, quos percepit, debet reditum annuum, & quod ita in arrestis Pentecostes fuit dictum in quadam caussa, quam ibi refert, in qua fuit justum, quod similis census ad rationem decem pro cētum constitutus pro certa portione bonorum apud alterum dimissa nó reduceretur ad quindecim pro vno, juxta tenorem Regiæ pragmaticæ Gallicanæ: sed in totum solveretur ad rationem decem pro centum, *argum. d. l. curabit, & l. fructus, eod. tit. & l Julianus, § ex vendito, ff. de act. empt. & l. 2. C. vsur.* & asserit preterea non esse in hoc faciendam differentiam, an in contractu, in quo datur aut dimittitur hereditagium, fiat primo æstimatio illius ad precium, & pro precio constituantur tot reditus annui redimibiles in casu defectus solutionis tali tempore: an vero res immobilis tradatur inæstimata sub certis quibusdam annuis reditibus quotannis solvendis, quoad vsque redimantur pro certa tali summa, quæ veniat aut ascendat ad decem pro centum, provt quidam voluerunt facere differentiam. Voluit etiam idem Chassan. *in eisdem Constitut. rubr. 4. §. 23. n. 25. vers. quarto limita, & Bartholom. Soc. cons. 2. incipient. sequendo ordinem, 2. col. n. 14. volum. 1. Palat. Rub in repetit. cap. per vestras, notab. fi. 2. col. n. 5. de donat. inter virum & vxorem, & Gomez in §. actionum, n. 11. de actionib sequitur Doct. Covar. lib. 3. variar. cap. 4. nu. 6.* dicens, quandoque pactionem fieri posse de solvenda certa quantitate, quæ etiam excesserit fructuum æstimationem & eorum interesse, modo fiat in vim annui reditus redimibilis & cum pacto redimendi, in hunc sane modum: quod emptor constituat se soluturum venditori certam annuam quantitatem, dum precium solutum non fuerit jure & titulo annui venditi super ipsa re empta ad rationem vnius pro quatuordecim vel duodecim vsque ad precij conventi numerum, dicens esse notandum & se vidisse non semel hanc pactionem initam fuisse: Eandem sententiam in terminis nostrę legis Regiæ, sic eam intelligens, sequitur latissiméque probat supradictos referens Mexia *vbi supra, nu. 18. & seqq.*

Sed contra hanc supradictorum sententiam duo potissimum vrgent. Primo, litera nostræ legis, quę generalis est, atque in omnibus censibus redimibilibus loquens omnésque indistincte comprehendit, ibi: *Ordenamos y mandamos que de aqui adelante no se pueda en estos nuestros reynos, ni en ninguna parte ni lugar dellos, vender ni imponer, ni constituyr iuros ni censos algunos de al quitar, a menos precio de a razon de catorze mil maravedis cada millar.*

Secundo, quia eadem ratio, quæ movit legislatorem, vt precium census super rebus proprijs impositi limitaret: eadem & major movere debuit, vt etiam census super rebus, quæ à dominis ipsis censuarijs traditæ fuerunt, impositos limitaret, quandoquidem majus fraudandi periculum in eis versatur: quibus fundamentis valde suspectum esse putat, quod Mexia *vbi supra*, tenuit ex Chassan. & reliquis, D. Olan. *in sua concord. iur. lit. A. n. 161. & seqq.*

Quid tenendū? Et certe quando rem meam vendidi, & tradidi certo quodam precio alicui, vt in defūctum solutionis certo tempore faciendę vel statim, interim quod precium non solveretur, census annuus mihi solvatur pro illo precio constitutus vel constituēdus, super eadem re, existimo absque dubio esse non posse constitui prædictos annuos reditus pro minori precio, quam ad rationem quatuordecim pro quolibet milliario, quicquid Mexia & ceteri supra allegati cōtrarium teneant propter generalem decisionem nostræ legis, quæ tempore quo D. Covar. scripsit condita minime erat, nec multis post annis edita fuit, & cōprehendit hunc casum, tam in sua literali contextura & generalitate, quam in sua finali ratione. Nec obstat, quod de præfatione suprad. fuit: Nam ipsa quoq; generalis fuit, nec ad casum priorē restricta, vt ex litera patet: quod si in petitione originali procuratorū hujus Regni clarius de restrictione cōstabat, tāto fortius nostra sentētia probatur in litera legis. Quandoquidem omissa petitione speciali ad priorem modū census, generaliter super omnibus idem statuit: Quod si ad originem supplicationis attēdere velis, cui generalitas decisionis nostræ legis contraria omnino non videtur, adhuc identitas rationis, vbi non sumus in correctorijs, nostram fovet sententiam. Non etiam obest *d. l. curavit, cum simil. C. de act empt.* quoniā loquuntur in interesse licito, etiamsi excedat fructuum æstimationē: At vero interesse licitum per modum annui reditus, quod in pactionem deduci potest, in nostris Regnis est ad rationem quatuordecim millium pro singulo milliario & non minus, *vt in nostra leg.* quam non vidit Covar. cum illo tēpore non fuisset condita, ideóq; nil mirū, si ad rationem vnius pro quatuordecim vel duodecim hoc permiserit *in lib. 1. var. resol. c. 10. nu. 2. & 3.* quia loquitur secundum morem provinciæ, antequam lege Regia esset taxatum justum horum censuum redimibilium precium.

Ex † quibus manifestum fit, valere ac justum esse cō- 4
tractum, quo dives aliquis habens domum reddentem tantum quotannis quinque, eam vendit pro cētum pauperi non habenti vnde precium solvat. Constituenti tamē censum annuum pro illo precio super eadem domo addita personali obligatione, modo justum precium annui reditus accedat, de quo in nostra lege, & in precij æstimatione domus iniquitas absit: quia idem est ac si venditor centū aureos, quos accepisset ab emptore in precium domus, statim tradat ipsi emptori in precium annui reditus constituendi: quia vterq; cōtractus hoc casu cōpendio fieri rectissime poterit, cessante iniquitate precij rei vēditæ & census, vt prædixi: Videtur igitur in proposito brevi manu solutum precium, & emptori redditū ad censum super ipsa re vendita constitutum vel constituendum, *arg. l singularia, ff. si certū petat, vt adversus Innocent. probavit idem Covar. lib. 3. variar. resolut. cap. 7. n. 6. vers. non oberit.* Iustum autem precium cēsus est, quod prædixi, nempe ad rationem vnius pro quatuordecim, *vt in nostra leg.* quæ tempore quo scripsit Covar. non erat condita, ideóq; eam non citavit, nec justum precium census diffinivit, quāvis cautius hic loquatur generaliter, scilicet modo justum precium annui reditus accedat, quam in priori loco supra allegato, specificans valorem annui reditus ad rationem vnius pro quatuordecim vel duodecim.